



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus I. de Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)



Decretalium Gregorii  
PAPÆ IX.  
LIBER V.

**S**icut in libro IV. & III. causæ civiles, & civiliter tractandæ, ita in libro hoc V. ponuntur causæ criminales criminaliter sequendæ, seu delicta in ordine ad penas delinquentibus infligendas. Et sicut in libro II. ordinatus est Processus Judiciarius Civilis, ita hic agitur de Processu Criminali, qui in plerisque convenit quoad modum & ordinem cum Civili, fieri videre est apud Rosbach in *Processu Criminali per tot.* Initio hujus libri exhibentur modi, quibus delicta in Judicium deducuntur seu bene seu male, tum à Titulo III. usque ad tit. XXXIV. variè delicta in specie, cultui Divino & Religioni, civilitati erga proximum, & rebus sacris adversaria, cum suis pœnis à Jure statutis, dein modus purgandi, &, si quis innocentem se probaverit, actio injuriarum, demum sequitur à tit. XXXV. de Pœnis in genere, ac in specie de Censuris & communicationis &c. Ultimi duo tituli, qui continentur per totum Jus, per modum Appendicis adnectuntur.

TITU

## TITULUS I.

### De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

#### SUMMARIUM.

1. In hoc libro tractatur de Delictis, & Pœnis.
2. Quibus modis delicta deferantur in Judicium.
3. 4. Quid, & quotuplex sit Delictum.
5. Quibus modis committatur.
6. Quid sit Accusatio.
7. 8. 9. 10. Quinam accusare possint, & accusari.
11. Quis sit effectus Accusationis.
12. 13. Quid, & quotuplex sit Denuntiatio.
14. Quinam teneantur denuntiare.
15. Quid, & quotuplex sit Inquisitio.
16. Quid requiratur ad eam instituendam.
17. Quando Processus Inquisitionis sit nullus.
18. An & quando obligetur Judex eam instituere.
19. Quis sit effectus Inquisitionis.
20. Quomodo practicè instituenda sit.

**T**res Præcipuè modi existunt, quibus inchoatur Processus Criminalis, sen delicta deferuntur in Judicium: nempe vel ad instantiam Partis, & tunc est *Accusatio*, aut *Denuntiatio*: vel ex Officio Judicis, & tunc est *Inquisitio*: proin in hoc ordine agemus de singulis, & quia objectum eorum est solum delictum, ideo aliqua præmittemus.

Pars II.

li

De

*De Delictis in genere.*

3 Dico 1. *Delictum* in genere, quod in Jure Communi & Usu sæpe dicitur crimen, maleficium, flagitium, facinus, peccatum, scelus, in ordine ad forum externum definitur esse libera & exteriorius sensibilis transgressio Legis, sive id fiat per commissionem, qua aliquid scienter & voluntate agitur contra legem prohibentem, sive per omissionem, qua aliquid omittitur contra legem precipientem, Naturalem, Divinam, vel Humanam. *Delictum verum* est, quod ex dolo vel culpa vera procedit: *quasi-delictum*, ubi intervenit culpa litem præsumpta à Jure.

4 Dico 2. *Delictum* dividitur 1. in *Publicum* & *Privatum*. Illud est, quod ob enormitatem suam à Lege, vel consuetudine, effectum est publicum, h. e. publicè vindicandum, & certis à Jure fixis effectus habens, nempe quòd regulariter non libet permittum sit illud accusare: quòd regulariter non admittatur procurator (si agatur de crimine capitali) pro Accusatore, & Reo: quòd eo condemnatus regulariter fiat infamis: quòd accusator ab accusatione desistens puniatur per *tergiversationis*: quòd admittat Inquisitionem qui tamen effectus plerique ferè ab usu fori hactenus recesserunt. *Privatum* vocatur, quod nec à Lege nec à Consuetudine elevatum est ad dictos effectus. *Delicta publica* censentur esse hæresis, Simonia, sacrilegium, crimen læsæ Majestatis, perduellionis, adulterium, homicidium &c. *Privata* autem ferè quatuor tantum, nempe furtum, rapina, injuria, & damnum injuriâ datum.

## De Accusat. Inquisitionibus &c. 499

reliquo saltem vi consuetudinis in foro Canonico juxta communem omnia delicta habentur pro publicis: imò & in foro Civili vix amplius superesse discrimen inter privata & publica testantur Farinac. Decian. & P. Pirhing. *h. t. n. 49.* saltem furtum & rapina habentur pro publicis. Si crimen in jure certum nomen, & pœnam, non habet, vocatur *extraordinarium, innominatum, vel stellionatus. l. 3. ff. stellionatus.* Dividitur 2. in *Exceptum*, quod non continetur sub generali dispositione Legis, & ad cujus accusationem admittuntur, qui in aliis criminibus, etiam publicis, accusare non permittuntur, modò non sint aperti inimici, uti sunt hæresis & Simonia, crimen perduellionis, quando quis directè in Principem, vel Rempubicam aliquid machinatur, v. g. per conjurationem, proditionem, seditionem, item crimen læsæ Majestatis in specie, quando quis solum indirectè delinquit in Principem vel Rempubicam, v. g. in Ministrum, vel Imaginem, vel Dignitatem Principis, vel cudid monetam, privatos habet carceres, utitur sigillò Principis aut Reipublicæ &c. Unde apparet à contrario, quid sit delictum *non-Exceptum.* Dividitur 3. in *Notorium*, quod ita manifestum est vel ex confessione propria delinquentis, vel ex probatione Judiciali, vel in conspectu populi commissum, ut excusatione celeri aut sine impudentia negari nequeat. Notorio opponitur *Occultum.* Dividitur 4. in *Capitale*, quod meretur pœnam mortis, vel naturalis, vel civilis per deportationem, damnationem ad metallam &c. & *non Capitale*, quod meretur mitiorem pœnam, v. g. relegationis, pecuniariam &c.

5 Dico 3. Reum delicti & pœnæ se facit non solum, qui physicè illud patrat per se, sed etiam, qui mandat, consulit, vel antecedenter illud reus habet, ita ut seclusò mandatò, consiliò, vel reus habitatione prævia delictum non fuisset patratum, adeoque qui moraliter effectivè, & non tantum physicè, influit, licèt per alium patretur. l. 36. p. 1. §. 2. ff. de furt. l. 1. §. 12. ff. de vi & vi arm. l. 1. §. 2. ff. de c. 9. 10. de R. J. in 6. Quin imò reus etiam fit delicti & pœnæ, qui delictum non impedit, cui possit; pro foro tamen externo solum tunc, quando delictum est contra Justitiam, & ex Justitia dicitur obligatio impediendi. per l. 3. §. ult. & l. 6. §. 1. ff. de re milit. l. 2. ff. de Lege Pomp. de Parricid.

### De Accusationibus.

6 Dico 4. Accusatio strictè sumpta (ein *Welsche* / vel Criminal-Klag) dicitur esse *delatio criminis apud Judicem ad vindictam publicam solemniter facta*. Solennitas consistit tum in obligatione libelli, in quo tamen omittitur conclusio seu petitio certæ pœnæ, tum in inscriptione accusatoris qua se obligat ad pœnam *Talionis* (h. e. ad illam pœnam subeundam, quæ probato crimine fore infligenda) si in probatione deficiat. Sed contra vi consuetudinis requiritur, & ultimæ, nimirum inscriptioni, hodiernis moribus saltem in foro Civili successit pœna arbitraria, ac insuper petitio de proseguenda lite usque ad finem Judicij, & expensis, damno & injuria causatis accusato, si accusator non satis probaverit delictum, seu in casum succumbentiæ: quam cautionem idoneam præstare non valeat, arresto vel carcere detinetur.

us est. Hodie rara est accusatio formalis, etiam verbalis tantum, sed delicta solent deferri in Judicium vel per denuntiationem Judicialem, vel per simplicem querelam, vel Procuratores fisci ad id constitutos, vel per Inquisitionem.

Dico 5. Accusare possunt omnes, qui non specialiter prohibentur. *l. 8. ff. h. t.* Prohibentur autem de Jure Canonico 1. Clerici in Judicio sæculari. 2. Laici Clericos, nisi crimen sit immane, vel cedat in grave præjudicium Ecclesiæ. 3. Paganus, & hæretici non tolerati, Christianos & Catholicos. 4. Inimici capitales, vel aliàs valde infensi. 5. Excommunicati. *c. 9. Ne Clerici can. 2. seqq. can. 25. caus. 2. q. 7. can. 2. 3. 4. caus. 3. q. 5. can. 4. caus. 6. q. 1. cum c. 7. de Judic. & c. 10. h. t.* De Jure Civili autem 1. pupilli, mulieres, milites, quos ultimos praxis admittit. 2. Magistratus. 3. Infames, & suspectæ fidei, & qui aliquando falsum in Judicio testimonium dixerunt, atque pauperes, quos honesta vita non purgat à suspitione infamiæ. 4. Valde conjuncti sanguine, vel specialiter ad gratitudinem obligati, uti liberi, fratres, libertus patronum, alimenta accipiens alentem, servus vel vasallus dominum. Habentur hæc *l. 8. seqq. ff. h. t. l. 13. & 18. C. de his, qui accusare.* Notandum tamen, quòd hi omnes, exceptis ferè solis excommunicatis, capitalibus inimicis, & rationis usu destitutis, accusare permittantur, quando suam vel suorum (nempe conjunctorum usque ad 4tum gradum) causam persequuntur. *l. 11. ff. h. t.* & quando crimen est valde atrox, vel in grave præjudicium Reipublicæ aut Ecclesiæ cedit, aut accusans nec à Judice repellitur,

pellitur, ut notant DD. Adde, quòd, licet accu-  
sare nequeant, fas tamen ipsis sit denunciare, vel  
simplicem querelam deponere apud Judicem,  
qui postmodum instituit Inquisitionem.

8 Quæres, an aliquando sit obligatio accusandi.  
R. Solùm tunc, quando ex omissione accusationis  
immineret Reipublicæ vel homini privato da-  
mnum, alia ratione, v. g. monitione privata, de-  
nuntiatione &c. non impedibile vel reparabile.  
Si tamen delictum esset occultum, nec tertio  
immineret damnum, vel si privata monitione  
crederetur impediri posse, lex saltem Justitiæ  
exigeret, ne per accusationem diffamaretur ac-  
cusans.

9 Dico 6. Accusari regulariter iterum possunt  
omnes. *l. 12. pr. ff. h. t.* Excipiuntur tamen  
Legati, & qui Reipublicæ causâ absunt, item Ma-  
gistratus majores, quorum officium est tempo-  
rale. *l. 12. cit.* multò magis ipsi supremi Principes  
Superiorem non recognoscentes, uti Papa, Imp-  
rator, Reges. 2. Absentes à loco Judicii in  
re ad pœnam relegatione majorem. *can. 5. c. 1.*  
*2. q. 8. l. 5. ff. de pœnis.* ne quis inauditus con-  
demnetur: accusati tamen citari possunt in re  
ne ad eorum bona annotanda, &, si contumaces  
non comparuerint, confiscanda. *l. 5. ff. de re-  
vel absentib.* Hodie tamen consuetudo habet  
Brunnem, ad *d. l. 5. de pœnis*, ut contra ab-  
sentem etiam in gravissimis delictis fiat Processus ad sen-  
tentiam usque: de Jure Canonico autem *c. 8. de  
ubi agitur de depositione vel degradatione,* con-  
tra absentem, qui sub pœna Censuræ citatus  
comparuit, proceditur usque ad sententiam  
nitiu



nitivam. 3. Mortui. l. 6. ff. de publ. Jud. excepto crimine hæresis. c. 8. de hæret. in 6. & crimine læsæ Majestatis. l. 7. seq. C. ad L. Jul. Majest. in ordine ad bona fisco applicanda. 4. Semel in Judicio absolutus super eodem crimine, modò non intervenerit prævaricatio vel collusio, aut absolutus non fuerit præcisè ab observatione Judicii. l. 7. 11. 14. ff. c. 6. h. t. Pariter 5. condemnatus & pœnâ delicto commensuratâ affectus denuo super eodem crimine accusari & puniri, etiam in alio foro, non potest. c. fin. de Except. in 6. & c. 5. de pœnis. in 6. quia datur exceptio rei judicatæ, 6. Qui accusationi jam præscripserunt, h. e. si à tempore commissi delicti, quod totaliter transit, & continuatâ non constat malitiâ, jam fluxit tempus à Jure determinatum ad extinguendam accusationem. Sed quantum debet esse hoc tempus? R. 1. in stupro, adulterio, & quocunque carnis delicto (nisi sit stuprum violentum. vel adulterium cum incestu conjunctum) sufficit quinquennium. l. 29. §. 5. 6. ff. l. 28. C. Ad L. Jul. de adulter. R. 2. In aliis delictis vicennium, seu 20. anni. l. 3. ff. de requir. vel absent. damn. l. 12. C. ad L. Cornel. de falsis. Id quod rectè asseritur de omnibus delictis, nullo excepto, licèt multi DD. graviorum delictorum, puta hæresis, læsæ Majestatis, parricidii, falsificatæ monetæ, suppositi partus &c. accusationi nunquam præscribi tradant. Siquidem l. 3. cit. dicitur, quamcunque quæstionem 20. annorum silentiò præscribi. Et l. 12. cit. sic: querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi 20. annorum, sicut cætera quoque (nullum excipit) ferè crimina. Accedit ratio

tio, quia, si delinquens 20. annis à delicto abstinuit, rectè jam creditur emendatus, nec amplius imminere periculum turbandæ Reipublicæ, vel seductionis aliorum ex pravo exemplo &c. propter quas causas pœnæ à Legibus sunt statuta. Certè spes obtinendæ per tot annorum emendationem veniæ valde videtur apta ad coërcendū à novis criminibus.

70 *Objic. 1.* In *l. ult. ff. de Lege Pompeja de parricid. habetur, semper* accusationem parricidii permissi. & in *l. 19. ff. de Leg. Cornel. de falsis accusationem suppositi partus nulla temporis præscriptione depelli.* 2. In *d. l. 12.* additur vox limitativa *ferè*: ergo sunt aliqua crimina, quorum accusationi 20. annis non præscribitur. 3. Iniquum est, reum atrocis delicti lapsu temporis liberari metu pœnæ. R. ad 1. Illæ Leges possunt intelligi de delictis permanentibus, ut est crimen suppositi partus. Vel dic, tò *semper*, & *nulla temporis præscriptione*, non Grammaticaliter, sed in sensu Juris accipienda esse, h. e. quòd semper & perpetuum nempe usquedum completum sit tempus erigendum accusationibus à Jure præscriptum, quòd Jure majus præscriptum non reperitur, quàm 20. anni, generaliter definiti, sicut actiones in causis civilibus dicuntur perpetuæ, quæ durant 30. vel 40. annis, & postea extinguuntur. Item quòd regulariter nulla præscriptio temporis, quòd minus est 20. annis, sufficiat. Ad 2. tò *ferè* facit hunc sensum, quòd quidem aliqua crimina temporali præscriptione & breviori tempore tolluntur, uti vidimus, ordinariè tamen, regulariter cætera omnia 20. annis; non verò quòd dentur

lia, quæ nunquam omnino tollantur, ne quidem 20. annis; cùm in Criminalibus longius tempus ad præscribendum in toto Jure non reperiatur. Ad 3. negatur assertum.

Dico 7. Effectus accusationis est 1. ut Reo legitime convicto per sententiam infligatur pœna, vel ordinaria, si qua à Jure determinata reperiatur, vel, si à Jure definita non sit, extraordinaria seu arbitraria, quam Judex condignam æstimaverit. 2. Ut accusatus regulariter pendente Processu promoveri nequeat. *c. 4. h. t.*

### De Denuntiationibus.

Dico 8. Denuntiatio in genere est *delatio simplex criminis, vel criminosi, vel utriusque, legitime facta Superiori.* Communis quoad rem. Dixi 1. *simplex*, h. e. sine ulla solennitate, & cautione, per quod differt ab accusatione, uti & per hoc, quòd ordinariè non tendat ad vindictam publicam & necessariò. Dixi 2. *Facta Superiori*, sive ut Patri sive ut Judici, de quo abstrahit definitio, ut conveniat omni. Unde

Dico 9. Denuntiatio dividitur in *Evangelicam*, quæ fit Superiori tanquam Patri, sic dicta, quia in Evangelio à Christo præscribitur *Matth. 18.* in hunc modum: *si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesie*, h. e. denuntia Superiori, vel Judici Ecclesiastico tanquam patri, ut corrigatur: cùm igitur spectetur præcisè

emendatio delinquentis, & fiat ex charitate a  
 prævia amica monitione duplici, ferè occulta, ro-  
 catur etiam *Charitativa*, *Paterna*, *Fraterna*, vel  
 etiam *Correptio fraterna*. Et in *Judiciale*, qua  
 fit Superiori tanquam Judici, ut is Judicialiter pro-  
 cedat ulterius inquirendo, ac re cognita puniat, vel  
 ad satisfaciendum condemnet, vel remedium præ-  
 rat. Et hæc vel est *Canonica*, quia à Jure Cano-  
 nico introducta, & fit Judici Ecclesiastico vel  
 impediendum peccatum, vel ad tollendum fco-  
 dalum, vel ad refarciendum damnum &c. ut si de-  
 nuntietur impedimentum Matrimonii, ne contra-  
 hatur, vel ut contractum dissolvatur, si denuntietur  
 inhabilitas eligendi ad Prælaturam, vel ut ma-  
 lus Prælatus emendetur aut deponatur, si peccat  
 tur, ut læso infra dimidium justii pretii satisfiat &c.  
 Et alia *Civilis*, utpote orta à Jure Civili, quæ  
 rum duplex est, nempe *Privata*, quando quis  
 alieno delicto iniquè gravatus recurrit ad Superi-  
 orem tanquam Judicem persequendo suum im-  
 esse & satisfactionem, eò quòd de Jure actionem  
 propriè dictam non habeat, uti læsus infra dimi-  
 dium, vel quando oppressus à potentiore denun-  
 tiat Judici suum gravamen, ut ex officio remedi-  
 um afferat. Et *Publica*, quæ tendit ad vindictam  
 vel pœnitentiam publicam, ad avertendum da-  
 mnium commune Reipublicæ vel Ecclesiæ, per  
 men læsæ, sicut accusatio; cui successit, & à quo  
 parùm differt, nisi quòd denuntians non tenetur  
 se inscribere ad pœnam Talionis, ad crimen pro-  
 nè probandum, & ad causam Judicialiter pro-  
 quendam, modò Judici suggerat indicia, & pro-  
 bationes, vel testes nominet; & hæc denuntia-  
 tio,

De Accusat. Inquisitionibus, &c. 507

tio, quæ ferè fit à Ministris publicis ad id deputatis, vel Fiscalibus, *Umts Klägeren* / aut etiam à privatis ex consuetudine, eum in finem ordinatur, ut Judex postea procedat per Inquisitionem. Unde à Criminalistis dici solet: *denuntiatio aperit viam Inquisitioni. l. 7. 14. C. h. t.*

Dico 10. Ad denuntiationem Evangelicam 14 delicti occulti regulariter tenentur omnes. 2. Ut & ad Canonicam faciendam. 3. Non tamen ad Civilem, etiam Publicam per se. Pars 1. constat ex textu recitato *Matth. 18.* ubi non merè consilium, sed præceptum à Christo proponi, constans est PP. & DD. sententia. Ratio, quia charitas exigit curare proximi emendationem, & quidem in occulto, ne diffametur, nisi delictum esset notorium, aut communitati, vel tertio perniciosum, & per privatas monitiones nullus sperari posset effectus; tunc enim deberet denuntiatio Judicialis adhiberi. Addidi, *regulariter*; sæpe enim excusamur, si nempe parùm aut nihil credatur profutura denuntiatio Evangelica, vel denuntianti exinde timendum grave incommodum &c. Pars 2. sumitur ex *c. 13. de Judic. c. 12. de Sponsal. c. fin. de cland. desp.* quia id exigit lex Charitatis, & Obedientiæ SS. Canonibus debita. Procedit iterum *regulariter* tantùm, si nempe sine gravi denuntiantis incommodo fieri possit, & judicetur profutura ad peccatum vel damnum evitandum, tertio imminens, atque si privata monitio, seu denuntiatio Evangelica, adhiberi commode nequeat. Notat quoque P. Engel *de for. com. n. 63.* Superiorem Ecclesiasticum, ubi Canonice denuntiatur Laicus, non semper debere statim de-  
ferre

ferre tali denuntiationi, & Judicialiter procedere, si læsio non sit valde excessiva, vel timeatur aliæ incommoditates, v. g. contemptus Coesuræ: aliàs enim dabitur ansa infinitis litibus, & cavillandi quoscunque contractus; nec enim quid Judicis potestati permittitur, Juris necessitati subjicitur. l. 40. ff. de Judic. Pars 3. de denuntiatione privata, qua quis persequitur suum interesse, claret, de publica probatur à paritate cum accusatione, quam imitatur; nemo enim accusare tenetur. l. un. C. ut nemo invitus agere &c. sed didi tamen, per se; si enim delictum esset gravis noxium Reipublicæ, vel tertio, & mitius remedium, v. g. denuntiatio Evangelica, non ceterò dederetur sufficere, foret obligatio saltem ex civitate, modò absque suo gravi damno aut periculo posset fieri, imò, si delictum cederet in præjudicium communitatis, nec proprium privati hominis periculum liberaret à denuntiando. Interim qui inhabilis est ad accusandum, etiam inhabilis censetur ad denuntiationem publicam, sicut vice versa, qui accusari nequit, neque sic denuntiare potest. arg. c. 20. h. t. Sed quia hodie post denuntiationem Judex procedit per Inquisitionem, denuntiare permittitur quilibet, licèt ad accusandum habilis non sit, uti socius delicti suo modò.

### De Inquisitionibus.

¶ Dico II. Inquisitio est criminis, vel criminis vel utriusque, per Judicem ex officio procedentem legitime facta investigatio. Gonzal. Carpzov. &c. Ille, contra quem fit inquisitio, vocatur inquisitus. Alia vocatur generalissima, vel generalis

à quibusdam, quando nimirum de nullo adhuc delicto vel delinquente constat, generatim tamen à Superiore indagatur, an non in aliqua provincia, diœcesi, civitate, Monasterio &c. fiant aliqua delicta, an servantur leges & statuta &c. ut fieri solet in visitationibus, ordinariè quidem non in ordine ad puniendum, sed ad cognoscendam vitam & mores subditorum. & tunc *Paterna* dicitur; licet quandoque etiam fiat ad puniendos delinquentes, & tunc *Judicialis* est; nam hæc generalis inquisitio subinde detegit indicia certorum delinquentium, & occasionem præbet specialiter inquirendi in hos, & puniendi detectos. Alia autem *Specialis* nuncupatur, quando super determinato delicto, quod satis constat esse commissum, & in certam personam, quæ jam diffamata vel suspecta de eo est, inquiretur, v. g. an Titius commiserit homicidium. Alia demum *Mixta*, quam alii quandoque vocant *generalem*, vel *generalem specialem*, aut *generalem secundum quid*, aut etiam *specialem*, quando quidem de certo delicto constat, aut de illo habentur indicia, nulla tamen de certa persona, quæ commiserit, suspicio aut indicia se produnt, inquiretur in auctorem delicti; vel vice versa quando de persona habetur suspicio, sed nihil constat de determinato delicto, ac propterea inquiretur, an non Titius aliqua crimina, & quæ commiserit. Vel brevius: quando vel inquiretur in certum crimen commissum, certâ tamen personâ non nominatâ, vel in certam personam, certò tamen delictò non expressò. Porro quando is, qui creditur esse Reus, jam est in manibus Judicis, seu *constitutus*, ut ajunt, duplex alia inquisitio habet

bet

bet locum, nempe *Mansueta*, *Gütliche Frag* quæ fit per solas interrogationes ordinatè & accuratè, non tamen captiosè propositas Reo super certis articulis; priùs quidem interrogantur personalia super nomine, patria, conditione &c. deinde realia, priùs generaliora, paulatim deinceps propinqua factò, demum specialia & specificissima quoad causas & circumstantias delicti, autem alia, nisi connexa vel indiciata. Et *Serv* *die Peinliche Frag* / quæ in Jure, *Quæstio*, in Praxi autem *Tortura* vocatur, quando nempe per tormenta & cruciatum corporis Judex intendit à Reo exprimere confessionem delicti & veritatem; quæ tamen adhiberi non debet, nisi tale delictum, quod mereatur pœnam relegatione graviorem; & nisi adsint indicia valde urgentia, saltem semiplena probatio delicti contra Reum, atque nisi hic per alias probationes plenè convinci nequeat; attendi quoque debet, an Reus sit persona torqueri prohibita, uti sunt senes decrepiti, furiosi, valetudinarii, mulieres prægraves, &c., nisi crimen sit valde atrox, Magistratus majores, Nobiles, Doctores. Sed hanc institutionem, quia in foro sæculari ferè locum non taxat invenit, Criminalistis relinquo.

**16** Dico 12. Ut ritè instituatur Inquisitio specialis à Judice in personam, requiritur 1. Ut delictum sit magnum, quo perturbatur Republica. 2. Ut constet de corpore delicti, seu, id verè perpetratum. 3. Ut præcesserit vel accusatio, denuntiatio, vel diffamatio seu infamia, vel aliam legitimam indicia contra personam, in qua inquiritur. 4. Ut inquisitus citetur. 5. Ut per



De Accusation. Inquisitionib. &c. 511

senti communicentur capitula seu puncta inquisitionis cum circumstantiis, dicta testium, & si inquisitus petat, etiam horum nomina, nisi ex manifestatione illis grave immineret periculum. 6. Ut super his examinatus pariter audiatur, ejusque exceptiones & defensiones. DD. passim. Pars 1. patet ex l. 6. ff. & c. 21. h. t. de levioribus enim & non scandalosis delictis non est obligatio inquirendi saltem ex officio, & nemine instante, imò quandoque præstat non inquirere propter varia incommoda, quæ indè oriri possent. Pars 2. ex l. 1. §. 24. & l. 5. §. 2. ff. de S. C. Silaniano. atque ex communi sensu & praxi. Constat autem de corpore delicti, si illud sit *permanens*, seu vestigia post se relinquens, uti homicidium, incendium, furtum cum effractione &c. per inspectionem ocularem, vel per testes: si verò sit *transiens*, seu nulla post se relinquens vestigia, uti adulterium, incestus &c. per conjecturas probabiles & proximæ, vel etiam per confessionem utriusque complicis. Pars 3. ex l. 7. C. c. 19. 21. 24. h. t. nam sine accusatore (vel denuntiatore, ubi deficit ille) nemo est condemnandus. *can. 17. caus. 2. q. 1.* & fama habetur loco accusatoris vel denuntiatoris. l. 7. & c. 24. *citt.* famam autem adæquant, vel superant subinde, indicia verisimilia. per c. 12. de Purg. *Can. Nemesis Carolina art. 6.* Ratio horum omnium est, quia, ubi hujusmodi non præcedunt, per inquisitionem persona particularis pateretur injustè gravem in fama & honore jacturam. Sed ut fama sufficiat, debet esse orta à personis certis, & probatæ vitæ, non malevolis, aut vilibus, & volare per majorem communitatis partem, imò



contra personam certam super delicto incerto, ad vindictam, non merè paternè & ad emendationem delinquentis, opus est infamiâ vel gravibus iudiciis; quia aliàs inquisiti fama injustè læderetur.

Quæres, an Processus Inquisitionis specialis, si 17 prædicta (exceptò primò, quod certè ad valorem non requiritur) non observentur, sit nullus? R. Si Reus excipiat & protestetur contrà, est nullus. *c. 21. 22. h. t. c. 1. 2. eod. in 6.* Excipitur tamen 1. Processus Inquisitorius contra Regulares non Prælatos. per *c. 24. cit.* 2. Si Reus præsens non reclamet. *c. 1. & 2. cit.* 3. Si Reus sponte & extra torturam crimen in Judicio est confessus. *d. c. 1.*

Dico 13. Judex tenetur in casu, ubi potest se 18 cundùm dicta, instituere ex officio inquisitionem specialem, imò & mixtam, ubi satis constat, delictum esse commissum, non verò de authore, seu in authorem inquirere specialiter, item ubi constat, quòd aliquis sit reus alicujus magni delicti, non tamen cujusnam. Communis. Ubi præcessit accusatio, vel denuntiatio verisimilis, per se clarum est, ubi autem sola diffamatio, vel indicia legitima, probatur ex hoc; quia ex una parte exigit Jus Naturale & Justitia Vindictiva, ut crimina puniantur, & Respublica defendatur à facinorosis hominibus; ex altera verò rari sunt, qui accusare velint, vel denuntiare criminaliter, propter onus probandi, vel probationes suggerendi &c. Unde, si inquisitionem omittat, tenetur de *Syndicatu*, h. e. litem facit suam, & pro re nata amittit jurisdictionem criminalem, institutò contra ipsum Judiciò propter officium malè gestum. Brunem.

in *Process. Inquis. c. 1. n. 10. 11.* Gail. 1. *obser*  
*28. n. 1.* Proin *Processus Inquisitorius* hodie fir  
 quentior est, quàm *Accusatorius*, factusque  
*medium Ordinarium*, qui olim erat duntaxat *Ex*  
*traordinarium*. In inquisitione mixta, si de  
 persona certa adsint indicia, vel diffamatio, u  
 veat Judex, ne interrogando, vel inquirendo  
 minet certam personam, v. g. an non Titius  
 crimen commiserit; quia hoc esset suggestio  
 cujusmodi suggestiones in Jure prohibentur. *l.*  
*f. 21. ff. de Quæst.* nisi nempe adsint particula  
 contra aliquem indicia, aut inquisitio sit patens  
 Inquisitionem *generalissimam* possunt, & subinde  
 ubi justa est suspicio, tenentur Superiores facere  
 per *c. 1. de offic. Ord.* juncto *Trid. f. 21. c. 8. de re*  
 & *f. 25. c. 8. de Regular. l. 13. ff. de Offic. Proba*

19 Dico 14. Effectus Inquisitionis *specialis*  
*mixta* in personam certam, vel delictum certum  
 ubi certa persona est suspecta de aliquo delicto  
 modò inquisitio legitime instituta sit, est 1. obli  
 gatio manifestandi & veritatem dicendi per  
 eos, qui interrogantur; quia Superiori legitime  
 interroganti parendum est. An verò & quando  
 ipse Inquisitus teneatur fateri delictum, dicitur  
 ad *tit. de Confessis lib. II.* In inquisitione *genera*  
 vel *generalissima*, non obligantur interrogati ma  
 nifestare delicta occulta, de quibus nemo diffama  
 tus est vel indiciatus. per *c. 17. h. t. nisi crimen*  
 sit continuandum, vel ex patrato immineret ali  
 damnum, aliâ viâ non avertendum. 2. Con  
 demnatio ad pœnam, si per inquisitionem ple  
 probetur alicujus crimen, & quidem ad *Ordina*  
 riam. *l. 2. C. de abolit. c. 2. de Confess. Suffragan*  
 con-

consuetudo in utroque foro recepta, teste Con-  
sal. *ad c. 21. n. 11. h. t.* cum consuetudinis Judi-  
cium Inquisitionis factum sit ordinarium, & sub-  
stitutum Accusatorio. *Objic.* In *d. c. 21.* habe-  
tur, quod in *Processu inquisitionis secundum quali-  
tatem excessus poenam moderari possit discretio ju-  
dicantis*: ergo saltem de Jure Canonico poena de-  
bet esse extraordinaria & arbitraria. *R. N. Conf.*  
nam textus dicit, *possit, non debet.* Dein Praxis,  
& allata ratio, satis declarant, quod debeat Judex  
poenam commensuratam delicto, adeoque ordi-  
nariam infligere: vel, quod Juri scripto per con-  
suetudinem derogatum sit.

Quomodo practicè instituendus sit Processus 20  
Criminalis in casu Accusationis, Denuntiationis,  
& Inquisitionis, item in casu Notorii, etiam Re-  
gularium, & actualis horum visitatio, explicat D.  
à Frölichspurg in *Nemesi p. 1. l. 2. & 3.* Jul. Clar.  
Farinac. Caropzov, & alii Criminalistæ, ac fusè &  
accuratè P. Anacl. Reiffenstuel *h. t. f. 6. 7. 8.* Di-  
citur autem delictum *notorium*, quod vel de Jure,  
vel ex ipso facto ita certum est, ut nulla ampliùs  
discussione indigeat, vel nulla tergiversatione ce-  
lari possit. *c. 24. de V. S.* Unde alia est *notorietas*  
*Juris*, quæ habetur per sententiam Judicis, quæ  
transit in rem judicatam, vel per spontaneam Rei  
in Judicio confessionem, vel per probationem in  
Judicio legitimè factam. Alia autem *notorietas*  
*facti*, quæ habetur ex præsentia populi, visu vel  
alio sensu percipientis, ut si major pars, aut in par-  
va communitate decem, vel etiam sex (melius re-  
linquitur arbitrio Judicis determinatio numeri)  
proprio sensu perceperunt delictum. Cum No-

torio quandoque confunditur *Publicum*, quamvis subinde publicum sumatur pro *Famoso*, quod nempe ita manifestum est, ut de eo jam existeretur. His omnibus opponitur *Occultum*, quod ita lateat, ut nec duobus pateat, & in foro externo probari nequeat, vocatur *simpliciter* & *proprie occultum*, de quo solus DEUS judicat. In Novissima cessat Ordo Judiciarius, & necessitas probandi. *c. 3. de testib. cog.*

## TITULUS II.

## De Calumniatoribus.

## SUMMARIUM.

1. Quid sit calumniari: *prævaricari*: & *tergiversari*.
2. 3. Quæ sit poena Calumniatoris, *Prævaricatoris*.

I **C**alumniari propriè (in criminalibus) dicitur, qui alteri crimen falsum dolose in Judicio intendit. *l. 1. §. 1. ff. ad S. C. Turpill. h. e.* proponit, impingit, objicit sive accusando sive denuntiando. Si id agit scienter & dolò verò, calumnia vera: si dolò præsumptum (si nempe in probatione deficiat) calumnia præsumpta vocatur. Vicina est *Prævaricatio*, quam committit, qui cum Reo colludit, verum crimen abscondendo, veras probationes dissimulando, & falsas exceptiones admittendo, ut Reus absolvetur. *l. 1. c. 6.* Et *Tergiversatio*, quando qui suscepta accusatione desistit citra abolitionem, quæ